

A n h a n g.

I.

Poeticarum Thesium Duodecas, quam pro receptione in Facultatem Amplissimo Philosophorum Ordine consentiente, in auditorio majori Anno MDCCXVIII. D. publicè exposuit disquisitioni Johannes Valentinus Pietsch, Phil. et Med. Doct. Respondente Melchiore Johanne Caschel. Regiomonti, Typis Reusnerianis.

[S. 2:] Omnibus, qui carmina amant et carmine digna gerunt.

[S. 3—12:]

Thesis I.

Cum plerumque suis de facultatibus plus, quam in illis est, sperent homines, inulta & ab ipsa natura neglecta ingenia ad condenda carmina animum adjicere, nemo mirabitur. Nunquam tamen infelici fidere nati felicem excludunt partum; monstrorum stupidis mutilatisque parentibus similia, prodeunt. Nec exhausta quanta quanta omnibus suis cum partibus est Philosophia, nec literarizæ, nec civilis historizæ cognitio, nec præcepta ulla connatum emendabunt vitium. Ita enim omni sensere tempore sapientes: *Poëtas non fieri, sed nasci.* |

3

Thesis II.

Ingenio valere Poëtas oportet. Hujus acutissimi nisi contineant testimonia carmina, ætatem non ferent. Hæc ab illis legi & relegi meretur sententia, qui suam memoriam jactare carminibus maleque digestam eruditionem intempestive venditare, & quicquid aut legerint, aut audiverint, & ex quovis trivio hauserint, ligatae orationis vineulis coercere gestiunt. Quo fit, ut, turpiter emendicatis Doctorum sententiis testimoniosque, Realium titulo compilatis, adlusionibus longe petitis, Heroum, Deorum Dearumque antiquitate oblitteratis nominibus adeo sua obscura reddant poëmata ut vasto, carminis longe magni- | tudinem excedente, opus habeant commentario. Sed hi 5 inter minorum gentium Deos referendi sunt.

4

Thesis III.

Nullus est tam conveniens Poësi, quam imitatrixis naturæ titulus. Proficiat itaque sibi Poëta, ne per varios phantasie anfractus abduci se patiatur: nam hinc falsæ, repugnante natura, societas ideæ oriuntur, quæ, quanquam interdum sublimitatis specie decipient & apud incautos semidoctosque Poëeos tirones admirationem pariant, à sapientioribus tamen exploduntur. A Gallis faux brillans nuncupantur, in quibus dignoscendis præcipue Poëtes elucescit judicium. |